



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Svmmvla Caietani

Cajetan, Thomas

Antverpiae, 1575

Magister scholarum tripliciter peccare potest.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41716

nis propter ludum . Quintò ex qualitate: vt sit talis ludus (puta alearum) sit prohibitum. Hodie tamen solis clericis prohibiti quidam ludi videntur, vide in verbo, clericus. Laicis enim omnis ludus non secundū se malus licitus videtur, nisi vbi specialiter prohibitio seruari consuevit. Sextò ex modo, vt si fraudulenter ludatur. Septimò ex abusu, dum multi ludo, qui causa recreationis licitus & sanctus est, abutuntur, vt negotiatione ad lucrum: ita quod non ludunt propter delectationem principaliter & pecuniam interponunt quasi stimulum ad verè ludendum: sed ludunt principaliter propter lucrum. Et hoc semper est peccatum: quoniam est dare operam turpi lucro, si tamen nulla alia deformitas immisceatur, non est peccatum mortale.

Luxuria consideratur respectu venererum superfluitatum, quæ duplex esse potest.

Luxuria apud mortales peccatum generale est animi superfluitatibus vacantibus. Appropiate tamen usurpatur pro superfluitate in venereis. Et sic ponitur vnū inter septem vitia capit alia. Potest autē dupliciter superfluitas venereorū inueniri. Primò, secundum solas circumstantias: vt contingit inter coniuges. Et sic cōmuniter est venialis luxuria. Secundò, secundum ipsam speciem actus: vt contingit in fornicatione, stupro, adulterio, &c. & iis quæ ad hæc ordinantur. Et sic semper est mortale peccatū: vt de quolibet specie in suo loco patet.

Magister Scholarum tripliciter peccare potest.

Magistrorum peccata circa tria sunt, doctrinam, mores, & lucrū. Quantū ad doctrinā peccatur
primò

Magistorum peccata. 367

primò docendo noxia animum, siue contra fidem catholicam, siue contra bonos mores. Et hoc siue directè, siue indirectè: hoc est ex modo dicendi, magnificando contraria, & quasi despiciendo ea quæ sunt fidei seu bonorum morum: vt contingit doctoribus multis philosophiæ & poëtis arrogantibus sibi philosophiæ auctoritatem, libertatem ingenii, & contemptu fidei, & bonorum morum: quasi non sint veri philosophi, nec veri poëtæ, qui boni Christiani sunt. Secundò, docendo falsà vt vera. Et hoc si ex industria fit, incurritur mendacium perniciosum mentiendi in iis quæ ad perfectionem spectant intellectus: qualia sunt scibilia omnia: nocumentum enim inferre in bonis intellectus non est minus quàm nocere in bonis corporalibus. Sicut autem est mentiri de aliquo singulari: quoniam singularia non sunt scibilia, & illorum notitia non per se spectat ad perfectionem intellectus. Si autem non ex proposito falsum dicitur in scibilibus, non est peccatum mortale: quum non sit mendacium nisi materialiter: nisi forte nocumentum notabile inde proueniens ex incuria aut temeritate doctoris afferentis temerè falsum reducat actum in naturam mendacii tanquàm non curauerit mentiri in nocumentum aliorum. Tertio, negligendo studere vt docere bene possit, &c. quarto, nolendo docere aliquid egregium ex inuidia.

Quintò, deuiando scholasticos auditeres ab aliis doctoribus in damnum ipsorum auditorum, & iniuriam doctoris. Et hoc esset mortale si sic fieret. Quantum ad mores non solum peccat minus corrigendo, vel excedendo in correctione, sed quod magis vrget fouendo aut inuitando ad turpia, seu ludos, &c. sunt enim cause multorum per hoc malorum inde subsequendum in adolescentulis. Quò ad lucrum verò peccatur si exigit plusquàm sibi debeatur,